



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

006957.50  
ALEXANDRI VA-  
LIGNANI PROVIN-  
CIALIS SOCIETATIS IESV  
IN INDIA ORIENTALI  
EPISTOLA.

De martyrio quinq; eiusdem  
Societatis.

1. RODVLPHI A QVAVIVAE.
2. ALPHONSI PACECI.
3. ANTONII FRANCISCI.
4. PETRI BERNI.
5. FRANCISCI ARANII.

Permissu Illustrissimi & Reuerendissimi D.  
Archiepiscopi Pragensis.

P R A G A E,  
TYPIS GEORGII NIGRINI.  
ANNO M. D. LXXXV.  
Die 2. Januarij.



00085729

000357.38  
ALEXANDRI VA-  
LIGNANI PROVINCIALIS  
SOCIETATIS IESV IN INDIA  
Orientali  
EPISTOLA.

AD REVERENDVM ADMODVM  
P. Claudium Aquauiam, eiusdem Societatis  
Præpositum Generalem. De Martyrio quinq;  
Societatis IESV, qui cum alijs quibusdam ad  
CHRISTI Domini fidem inter Indos prædi-  
candam, & ad idola eius gentis submouenda  
missi, dum in eo laborant, dignissimam  
Christi militibus coronam  
sunt consecuti.

X HIS LITTERIS  
intelliget R. V. præcla-  
ram martyrij lauream,  
quā DEO miserante sunt  
cōsecuti dilectissimi, ac  
beati Patres nostri vnā cum fratre,  
Rodulphus Aquauia, Alfonsus  
A ij Paceccus,

Pacecus, Antonius Franciscus, Petrus Bernus, & Franciscus Aranius, vnam ob hanc caussam, quod ad Diuinum cultum insinuandū, idolaq; destruenda, à sancta obedientia missi, in Salsetanam Regionē iuissent; id quod Idibus Iulij anni huius seculi octogesimi obtigit. Salsetana igitur regio peninsulæ instar, isthmo cum continente coniungitur; marisq; interiectu à Goa insula dirimitur, neq; ab ipsius insulæ primaria ciuitate, quæ item Goa nominatur, tribus amplius leucis distat; ex altera parte Idalcani Mahometani Regis potentissimi regnum attingit. Is tractus, & Regio Salseti, ab eo Lusitanę regno attributa est, ut pacem post aliqua bella, cum Lusitano Rege componeret: Sexaginta habet pagos, in quibus hominū milia propemodum sunt octoginta, vna cum plurimis Drachmani- bus,

bus, qui idololatriam illam docent,  
ac fouent. Quorum omnium tanta  
fuit in cōcepta perfidia obstinatio,  
vt quamuis multi effluxerint anni,  
cum Lusitanis ea regio pareret, no-  
strosq; contingere; nunquam ta-  
men antea patuerit aditus ad fidei  
lumen in eam inferendum, nisi ter-  
tio & vigesimo abhinc anno, quo  
quidem Patres de Societate nostra  
cam syluam incultam primò in-  
gressi sunt, ibiq; Diuinum verbum  
seminarunt; ex quo cum pauci ali-  
qui Christiani conuerterentur, tan-  
tum molestiarum in his paucis de-  
fendendis passi sunt, vt Antonius  
Norogna Prorex, cùm regis subdi-  
tos adeò insolenter in nostros in-  
sultare cerneret, plus ducentis eo-  
rum phanis vnā cum pluribus alijs  
idololatriæ domibus deturbari, &  
incendio tolli mandauerit, quadri-  
ennio postquam in eis excolendis

A iij laborari

laborari cœptū fuerat. Quod cùm  
 nostrorum hominum consilio , ac  
 suas effectum crederent , Brach-  
 manes tanto furore sunt perciti , vt  
 nullam vlciscendæ, quam putabant  
 iniurię de Societatis hominibus oc-  
 casionem sinerent elabi. Itaq; exor-  
 to ter aut quater bello inter nostros  
 Lusitanos & Mauros , ad hoc isti se  
 adiunxere , templa & domos , quæ  
 in Salsetano agro nostri posside-  
 bant , demoliti sunt , aut igne con-  
 sumperunt: Christianos qui iam  
 decem ferme milium numerum æ-  
 quabant , grauissimis crumnis , &  
 damnis attruerunt. Ac licet nouis-  
 simè pax coiuisset , quinq; tamē co-  
 rum pagi in rebellione perstiterūt ,  
 quæ & templa instaurarunt , & ido-  
 la noua conflarunt , ac publicè suos  
 ritus , impiasq; ceremonias exer-  
 cuerunt ; in id maximè incumber-  
 tes , vt à Prorege , adcoq; ab ipso Re-  
 ge con-

ge continuandæ, & propagandæ il-  
lius impietatis facultatem obtine-  
rent. At cùm cognouissent per ope-  
ram Paceci, sacerdotis è nostris, es-  
se factum, vt falsi eorū relatus Pro-  
regi innotescerent, vnde pernicio-  
sum eorum consilium dissipatum  
omnino est; odio acerbiore homi-  
nem prosequebantur: quemadmo-  
dum & Petrum Bernum, qui post  
hæc omnia sedulam in templis di-  
ruendis operam impendisset, copi-  
is Francisci Mascaregnæ Prōregis  
adiutus, quas hic ad perfidorum cō-  
primendam audaciam, sceleraque  
castiganda illac miserat. At verò  
barbari, cùm a Prōrege pacem ac-  
veniam, interponente eodem Al-  
fonso Paceco operam suam, essent  
assecuti, simulata quiete, tempus ad  
vltionem expectant. Hoc autem re-  
rum statu Rodulphus Aquauia  
Goam appellit ex aula Magni Mo-

A iiiij goris,

goris, vbi triennium & eò amplius  
 exegerat. Hic à Prouinciali reuoca-  
 tus, quòd nulla futuri alicuius fru-  
 ctus spes ostenderetut, redijt Goam,  
 cùm à Magno Mogore, vniuersaq;  
 eius Regis familia ingentem admi-  
 rationē summis virtutibus, & san-  
 ctitate excitasset, vt hanc neq; præ-  
 cipui eius æmuli negare possent, ac  
 verò Mahometani iurati hostes vel  
 iniuti confiterentur. Hunc nos Goę  
 gaudio quodam incredibili exce-  
 pimus. Erat enim omnibus charif-  
 simus, atq; optatissimus, quòd in eo  
 animi dimissio certeçq; virtutes tā-  
 quam in speculo, viue cernerentur:  
 vixq; amplius illum esse redditurum  
 speraremus, quippe qui ne ipse qui-  
 dem aliud à Mahometanis, quam  
 aut miseram seruitutem, aut crude-  
 lem necem diu expectasset. Verum  
 Deus, cuius alia erat voluntas, re-  
 gem eum in illam mentem impu-  
 lit,

lit, & cum extraordinariam & singulararem ei declarasset humanitatem, pecunijs etiam onustum à se dimittere voluerit, quas vir apostolicus omnes repudiauit, contentus molestijs, afflictionibus, assiduo pre cum vsu, atq; alijs sanè heroicis virtutibus satis diues, quas tum cum focio, tum solus media in natione praua, sibi magna cum pace, atque animi quiete comparauerat, non absq; incredibili admiratione domesticorum & externorum. Provincialis autem cum à tanto feruore, & suavi agendi modo plurimos manipulos in agro Salsetano per eum sperasset, Rectorem Salsetano collegio residentiæq; præfecit: socio Alphonso Paceco addito, qui diuturno gentis vsu, ingenia illa hominū consuetudinesq; callebat. Et verò qui Provinciam Indicam antea administrauerat Rodericus

A v Vincen-

Vincentius, cum se vnà cum illis  
dedisset in viam, Goam ex itinere  
valetudine affecta reuersus est. Inte-  
rea instaurandi vota de more So-  
cietatis tempus appetierat, cum pri-  
mum ad primam Salsetanam Re-  
sidentiam peruenissent, cui nomen  
**Cortalinum**, vbi templum est diuis  
Philippo & Iacobo sacrum. Quam-  
obrem huc statim ex alijs residen-  
tijs conuenere Patres & fratres om-  
nes, qui post generalem peccatorū  
confessionem, piaq; alia opera, ma-  
gno gaudio, & cœlesti consolatio-  
ne perfusi, Nonis Iulij, vota illic sua  
Deo rursus obtulerunt. Quibus per-  
actis hortatio Rodulphi subsecuta  
est, plena spiritus & gratiæ Dei, atq;  
solatij nostrorum. Mox cæptum est  
agi de ratione vniuersæ regionis  
Salsetanæ ad Christi fidem conuer-  
tendæ, deq; solenni aliquo baptis-  
mo instituendo. Cui sanè rei pluri-  
mum

09080700  
mum commodabat Pacecus, qui olim munere ibi Superioris functus fuerat, & quasi Christianorum ibi habebatur parens. Expedire itaque deniq; visum est, ut primò residentiae inuiserentur, ac naturæ locorum cernerentur, in quibus & cruces excitari, & templa Christiana extrui possent. Coculinum, & reliquos pagos, qui superioribus annis à Rege defecerant, quiq; tum pacatè viuebant, in primis adeunt, ut aliquibus inter eos inimicitijs sublatijs, quarum fuerat caussa primario cuidam eorum viro mors illata: eos item solarentur, ac sensim ad fidem adducereut locum verò deligerent, in quo ijs assentientibus, aut templum ædificari, aut certè crux statui posset.

Dominica die, quæ in tertiam Idus Julij incidebat, Rodulphus, & Pacecus, vbi in arce Raciolo, alijs  
A vj verò

00035738  
verò alijs in residentijs , sacris ope-  
rati fuissent , proxima nocte ad ar-  
cem Orliam veniunt: Quò deinceps  
Petrus Bernus Italus Longobardus ,  
& Antonius Franciscus Lusitanus ,  
vterq; magno Zelo , magnaq; vir-  
tute & Franciscus Aranius frater  
peruenerunt , ij omnes , Idibus Iulij ,  
re Diuina peracta , se in viam dant  
**Coculinum** , pluribus ex ea regione  
**Christianis** comitibus , duobus itē  
**Lusitanis** , quorum alter notarius  
erat Præfecti Raciolensis . Huc cum  
venissent , eos gentilis inter præci-  
puos salutat , ac post prandium po-  
pulo coacto , se cum populo patres  
visitaturum pollicetur . A quibus  
interim de pace duo alij gentiles  
euocati cum essent ; restitit alter ,  
alter autem qui venit , etsi propen-  
sum ad compositionem animum  
Rodulpho indicauit : se tamen ni-  
hil absq; fratrum , & parentis con-  
fensu

sensu posse statuere declarauit: Tū nostris cōfidentibus , vbi templum extrui , & crux erigi aptius posset : pleriq; barbari, siue exploratum, siue aliam ob caussam venissent , re cognita , sese cōfestim ad alios propriunt ; quid patres moliantur , aperiunt omnibus. Erat tum magus inter eos , qui cum pristina in nostros odia, quibus animum exulte- ratum fouebat , renouasset , popu- lum conuocat ; iam ecce inclamat , tempus quo de idolis nostris atque iniurijs pœnas repetamus , quæ quo tidic ab istis , nobis & idolis nosti is inferuntur . Quare **[eos]** interficere statuunt . Vias igitur per quas patri- bus erat transeundum obsident : at nostri dum animi hostilis indicia non obscura animaduertunt , ne- quid incommodi suo ex aduentu accidat , residentiam repetere con- stituunt ; qui cum in illorum insidi-

A vij as in-

as incidissent, barbari mox proſili-  
unt, arcubus, sagittis, ac omni telo-  
rum genere cingentes, & petentes  
noſtros, omnesq; vna voce atroci  
& contentiſſima ſtrident, occide,  
occide maleficos patrię noſtrāe per-  
turbatores, noſtrorum deorum de-  
ſtructores. Quo ſtrepitū inaudi-  
to, Lusitanus tormentum quod ge-  
rebat, cùm in ſpeciem defenſionis  
aptaffet, ad hunc Pacecus accurrit;  
iamq; defendendi ſe tempus haud  
eſſe, inquit, conuersus autem ad ho-  
ſtes, paſſis brachijs, & magna cum  
pace, eorum lingua hortatus eſt, ne-  
quid turbationis à ſe pertimesce-  
rent. Verum illi ingenti furore, lu-  
porum instar in patres inuolant,  
ac primo Rodulphum ponè popli-  
tes feriunt: procidit ille in genua,  
ſublatisq; in coelum oculis, ac diui-  
no ſpiritu incenſus animam Deo,  
caput carnifici offert, ſuis ipſe ma-  
nibus,

nibus, vestis collari deposito, ac cer-  
uice nudata. Quia in re secutus est  
quod per omnem vitam usurpaue-  
rat, exemplum Magistri sui ac Do-  
mini, se ad secundum iustum ei of-  
ferens, à quo primum acceperat,  
quod tamen carnificis feritatem nō  
emolliuit, qui mox eidem loco, quē  
pater denudauerat, duo mortifera  
vulnera infligit, ac deinde secat hu-  
merum, ut pene à reliquo corpore  
sextus caderet; postremum sagittæ  
vulnus fuit, quo pectus traiecerunt,  
sic quinq; vulneribus spiritum crea-  
tori suo tradidit, à quo totidcm fue-  
rat redemptus: hicq; gloriosus exi-  
tus fuit tam breui tempore, Salfeta-  
næ suæ peregrinationis. Proximus  
fuit Franciscus Aranius, cuius col-  
lum gladio vehementer vulnerant,  
latusq; lancea transuerberant, ex  
quo tamquam mortuus concidit.  
Tertius fuit Petrus Bernus, cui cum  
occipitis

00035738  
occipitis pars, ex illato grandi vul-  
nere pendula esset oculum telo tra-  
iiciunt; mediam interim aurem a-  
lio vulnerc secant, neq; his conten-  
ti in mortui corpus, barbaras alias  
immanitates edunt. Quartus succe-  
dit Alphonsus Pacecus, qui pecto-  
re lancea perfosso, manibus in cru-  
cem efformatis, elatis ad cœlum o-  
culis, secundo se iactui obtulit, quē  
cum per iugulum accepisset, ilico  
occubuit. Postremus Antonius  
Franciscus eorum rabiem excipit,  
qui capite fosso, multisq; vulneri-  
bus confossus, fortissimè mortem  
oppetijt. At interea superstes erat  
Franciscus Aranius, qui adhuc le-  
thalibus vulneribus acceptis spira-  
bat, quem plurimi virorum, mulie-  
rum, puerorum ingentibus clamor-  
ibus cum accurrerent, bis circa  
suum idolum circumraptant, sic  
maiore illud honore affecturos ra-  
ti; de-

ti; deinde coram idolo sistunt altero pede sublato, vnicotantum stante, quemadmodum is earum gentium mos est, cum noxios torquent. Tum monent ut adoret idolum. At ille, cum constantissimè respondisset, se non eorum similem ac mentis inopem, ut faxa lignaq, adoraret tanta animi indignatione, exarserunt, ut cum sic satis à se procul statutum, eminus confixerint, & tanquam alterum Beatum Sebastianū, totum eius corpus sagittis referserint, donec sanctissimam animam gloriosè ac fœliciter exhalauerit. At dum illi arcu tela dirigerent: Nunc, aiebant, delubra construetis, nunc terræ crucem defigetis. Sed & adeo præcipiti furore ac insanìa ferabantur, ut ne pueri quidem, aut mulieres manus à demortuis abstinerent, vel ferocem illum suum animalium iaculis, sagittis, telis, sudibus

bus præacutis satiarent; operas quis-  
 que suas in hac idolorum suorum  
 vindicta ponentes, quibus & san-  
 guinem martyrum offerentes, eo  
 quoq; eadem idola de more, cum  
 ingenti clamore, & lætitia inunge-  
 bant. His rebus confectis raptant  
 corpora, quæ in fossam aquæ ple-  
 nam demersa, contegunt frondi-  
 bus, ne cui pateant. Subsecuta est  
 mors duorum iuuenum, qui inter  
 Brachmanas honesto loco nati,  
**Christo** nomen dederant, & in no-  
 stris domicilijs degebant: Alter cui  
 Dominico nomē erat, ex eodē Co-  
 culini pago, qui quoniam patres de  
 Idolis certiores fecerat, cum ad ea  
 solo æquanda profecti essent; huic  
 nulla ratione pepercerunt: Alter  
**Alphonsus** nomine, qui manum v-  
 tramq; sibi percidi passus est poti-  
 us, quam Paceci breuiarium, quod  
 in manibus gestabat tradere ijs ad  
 con-

contumeliam vellet. Vir deinceps  
honoratus iam Christianus Fran-  
ciscus Rodericus, & alter Paulus  
Acosta, eiusdem Salfetani tractus  
Christianorum procurator, qui gē-  
tilium conuersionem mirificè ze-  
lans, egregiam patribus operam  
nauabat, obtruncati sunt. Denique  
verò è duobus Lusitanis, qui no-  
strorum itineris fuerant comites,  
alter sub hominis barbari, cui erat  
notus, patrocinio saluus relictus  
est: Alter Consalus Rodericus Re-  
gius Notarius imperfectus est. Sic er-  
go pretiosam beati hi Christi mili-  
tes mortem oppetierunt, vitas suas,  
& sanguinem liberaliter in Christi  
Iesu pretiosissimo sanguine offe-  
rentes. Erat Rodulphus ( Illustrissi-  
mi Atriensis Reguli, quæ ciuitas est in Re-  
gno Neapolitano filius, & Cardinalis Aqua-  
uiue frater ) annos tres supra tri-  
ginta natus, quorum dimidium  
in

in Societate vixerat. Eâdem fermè  
ætate, ac tempore vocationis ad  
Societatem erat Pacecus: Vtrique  
insignis virtus, atq; ad Indiam ad-  
iuuandam talentum non deerat.  
Antonius Franciscus annorum tri-  
ginta, quorum duodecim in Socie-  
tate vixerat, offerre solitus erat in  
sacrosancto altaris sacrificio preces  
Divinæ bonitati, quibus martyri-  
um ob eius amorem perpeti posset:  
Quæ desideria, quam viua, quamq;  
ardentia cordi Rodulphi inhæse-  
rint, ex litteris quas cum esset apud  
Mogorem scripsit, perspici potuit,  
cum totæ eiusmodi desideria spira-  
rent. Atqui & hoc potuit deprehen-  
di ex illa reditus difficultate, cum  
mirificè doleret, se à magno Mogo-  
re reuocari, vbi ad mortem pro  
Christo sustinendam adeo luculen-  
ta, ac certa sese offerret occasio. Pe-  
trus autem Bernus, qui cum sex in  
Societate

Societate annos vixisset, ad trigesimum ætatis suæ peruererat, vocem illam itidem usurpabat: Quamdiu sanguinem Coculini non funderet, tam diu Christi iugum Salfetanos haud esse subituros: sibi verò præfigire animum, se eo in loco moriturum esse. Franciscus Aranius, cum annorum esset duodetriginta, decem in Societate impenderat. Omnes igitur eo ætatis flore sublati sunt, cum utilissima si superuixissent, ad Diuinam gloriam uniuersæ Societati instrumenta esse potuissent. Incidit hoc, ut suprà diximus, in Idus Iulij anni huius seculi octogesimi tertij, qui dies singulairis, magnaq; veneratione dignus in Societate idcirco erat; quòd eodem die, nō ita multos ante annos, martyrij donum ab hereticis adeptus erat Ignatius Azeuedius, cum triginta nouem alijs de Societate nostra,

stra , dum Brasiliam versus nauiga-  
rent. Quorum cum anniuersarium  
diem festum precibus ac sanctis  
poenitentiæ operibus Goënsse Col-  
legium piè celebraret, eo ipso tem-  
pore nostri apud Salsitanos marty-  
rij corona ornabantur. Postridie  
itaq; noctu, martyrij illius ad nos  
fama peruenit, qua patres & fratres  
vehementer commoti , dum se ilici-  
co orationi dedissent , tam ingenti  
consolatione & lætitia diuinitus  
perfusi sunt , vt cum hinc inde exi-  
rent, eandem quisq; lætitiam inui-  
cem communicaret, omnesq; san-  
cta martyrij æmulatione desiderio-  
que æstuantes, eam vocem ingemi-  
narent: Beatos sanctos , &c. At  
Prouincialis , & reliqui Patres , ad  
Salsitanos ilicò proficisci consti-  
tuerunt , vt sanctorum corpora re-  
cuperaient, sepulturæq; traderent.  
**Quam** deliberationem ardor reli-  
quorum


quorum omnium eò ire cupienti-  
um tam vehemens excepit, vt, qui  
Goæ substiterunt magnopere do-  
lerent. Iuêre igitur triginta tantum  
è nostris, qui, cum eò peruenissent  
vnâ cum præfecto arcis, & sancto-  
rum corpora petiissent: barbari ve-  
rò nollent patefacere; iamq; mæ-  
stissimi erantabituri: cùm Diuinæ  
bonitati placuit, vt traderent. Per-  
uenit hic nuntius, nec opinantibus,  
Raciolum, quo in loco nostri com-  
morabantur. Deferebantur corpo-  
ra ab arcis Præfecto, & à Lusitanis,  
sed cùm Sacello D. Antonij prope  
Raciolum appropinquassent, exce-  
pti à nostris magno populi concur-  
su fuerunt, qui facibus & candelis  
accensis cantu figurato decanta-  
bant. Benedictus Dominus Deus  
Israël, &c. Corpora sanctorum in  
ipso facello retegenda fuerunt, vt  
omnium feruenti desiderio satisfie-  
ret,

ret, ac vbi retecta apparuerunt, se-  
cuta est tam insignis consolatio at-  
que deuotio, vt plures è patribus ac  
fratribus assererent, vnā fuisse hanc  
omnium maximam, ac magis ex-  
traordinariam, quam ullo vñquam  
tempore percepissent. Ac licet tri-  
duum ab eorum nece erat elapsum,  
atq; in fossam aquæ proiecti; sic ta-  
men erant recentes, in primis au-  
tem Rodulphus sic erat integer, vt  
sanguis ex vulneribus nō secus dif-  
flueret, ac si ea tum inficta fuissent.  
Tanta verò in omnibus, qui tum a-  
derant, flamma pietatis cluxit, tan-  
toq; impetu ad pedes, manus, vul-  
nera deosculanda accurrerunt, vt  
omnes gloriæ lucem intueri sibi vi-  
darentur, in qua sancti versantur,  
quaue cum Christo in regno cœle-  
sti fruuntur. Multi reliquias magno  
studio auferre contendebant. Itaq;  
a ij strophiola martyrum sanguine  
tincta

tincta retulerunt; alijs cum capillis,  
vnguibus, & alijs huiusmodi rebus  
abierunt; quæ nostri prohibere non  
poterant. Sed deniq; depositis cor-  
poribus, solennis |admodum & pia  
supplicatio consecuta est, adhibi-  
tis pluribus luminibus & canticis  
Psalmorum, quales triumphum a-  
deò gloriosum decebant, cum cor-  
pora ipsa à Patribus efferrentur.  
Verum cum de media nocte Ra-  
ciolum peruenissent in maximo  
facello, eadem corpora, vñà in ar-  
ca ingenti conclusa, terræ manda-  
ta sunt, sic vt vnum quodq; ab alte-  
ro secretum esset, & singulorum  
nomen inscriptum: in quo templo  
tamquam depositum tantisper sub-  
sistent, dum P. V. certam sedem, in  
qua collocanda sint, designabit. Po-  
stridiè eius diei mane Prouincialis  
sacrificium in gratiarum actionem  
solenni ritu cecinit. Neq; enim ipsi,  
B alijsq;

alijsq; Patribus tum videbantur alia suffragia conuenire, cum ob sanctam fidei Catholicæ prædicationem, & idololatriæ euersionem ab infidelibus iussi sint interfici. Id quod illi ijdem barbari fassi sunt, cum Epistolam scripsissent, quod martyres interemisset, qui tempulum in agro suo vellent extruere. Eo nuntio accepto, vehementer Goënsis ciuitas commota est, in qua Rodulphus, & Pacecus ob suas virtutes celebres erant, ac verò plurimum amabantur. Quod si per Regem populo, ea de re magnopere incenso licuisset: confessim ad vlciscendum facinus tantum, ad quinq; illos pagos profectus fuisset. At quoniam qui illud perpetra- runt, statim se in ditionem Idalca- ni receperunt, visum est Proregi, a- liquid tum non esse attentandum. Speramus in Dominum, horum  
sancto.

sanctorum bonitate & exitu futu-  
rum , vt in cœlis obtineant , vt no-  
stri charissimi patres & fratres , qui  
sunt in Europa , desiderio ab has o-  
ras appellendi accendantur , in  
quibus tam fœlicem for-  
tem fortiantur .



Bayerische  
Staatsbibliothek  
München

00035738